

Disputatio medica inauguralis de haemoptysi / [Robert Young].

Contributors

Young, Robert, 1802?-1849.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Moir, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dcf6ukpw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

HAEMOPTYSI

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HAEMOPTYSI.

DISPENSATIO MEDICAE

UNIVERSITATIS

HAEMOPTYSIS

QUAESTIO

AVANTIS SEPTIMO KUNING

ET AVANTIS SEPTIMO KUNING

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

AVANTIS SEPTIMO KUNING

QUAESTIO

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

JOHN STEWART

AVANTIS SEPTIMO KUNING

DE

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

HAEMOPTYSIS

QUAESTIO

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

EDINBURGH

AVANTIS SEPTIMO KUNING

AVANTIS SEPTIMO KUNING

(16)

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

H A E M O P T Y S I :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI :

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS YOUNG,

ANGLUS ;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.

Morbos autem, non eloquentia, sed remediis curari.

CELSUS, *Lib. I. Proemium.*

Quarto Nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

DISPUTATIO MEDICA

IN ANATOMIA

CAROLO FERGUSSON FORBES

H A E M O P T Y S I S

MEDICINAE HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

D. GEORGIO BAIRD F.R.S.E.

AT ANIMAE HONORABILISSIMO

PROFESSORI

ANATOMIAE HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

CURIAE HONORABILISSIMO



COMMISSARIUS IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

ROBERTUS FORBES

ET ALII

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

IN ANATOMIA HONORABILISSIMO

CAROLO FERGUSSON FORBES,

M. D. S. L. S.

&c. &c. &c.

MEDICINAM LONDINI SUMMO CUM

HONORE EXERCENTI,

A QUO PLURIMA NUNQUAM OBLIVISCENDA

BENEFICIA ACCEPIT;

ATQUE

GULIELMO FORBES,

ARMIGERO,

EX CAMBERVELL, CHIRURGO,

SUB CUJUS AUSPICIIS MEDICINAE STUDIO

PRIMUM OPERAM DEDIT,

ET A QUO (DONEC CUM EO VIXIT)

SUMMIS BENEFICIIS USQUE AFFECTUS EST;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

CAROLO FERGUSSON FORBES

M.D. S. J. S.
GEORGIO JACOBO FERBIL
de de de

MEDICINAM FORDINI SUMMO CUM

LAUREA HONORIS ERIGENTIS

A GEG LATINA & GREGAIA DELIBERANDA

REPERTA SUERUNT

AVRIL

CUM SENEX SENEX & SENEX SENEX

GUILLIUM FORBES

AT CUM SENEX SENEX & SENEX SENEX

AVRIL

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

EX SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

AT A GEG SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

DE SENEX SENEX & SENEX SENEX

AVRIL

FORBES SENEX

DISSERTATIO MEDICA
GEORGIO JACOBO GUTHRIE,

ARMIGERO;

VALETUDINARII VESTMINSTERIENSIS

CHIRURGO ADJUVANTI,

&c. &c. &c.

CUJUS SUMMUM INGENIUM ATQUE STUDIUM,
UT CHIRURGI, UT SCRIPTORIS, UT PRAELECTORIS,

MERITO EI PRIMAS CONTULERUNT,

IN ARTE QUAM SUMMA LIBERALITATE

MORUMQUE FACILITATE ADORNAT,

HOC OPUSCULUM,

PLURIUM BENEFICIORUM IN SE

DISCIPULUM COLLATORUM NON IMMEMOR,

D. D. DQUE

ROBERTUS YOUNG.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HAEMOPTYSI.

AUCTORE ROBERTO YOUNG.

MORBUS de quo nunc agitur multum notabile, idque momenti haud exigui, habet. Quis enim aegrum videt, gravi Haemoptysi succumbentem, magnamque sanguinis copiam difficulter extussientem, et non sine labore vehemente spirantem, nec illius miseretur? Quis talem sublevare non exoptat?

Animadverti solet de Haemoptysi eam longè frequentius cordis et pulmonis vitia comitari, quàm sub formâ morbi Idiopathici sese ostendere. Hinc accidit fortassè quòd rarius de illâ disseruerunt auctores,

quàm de multis aliis multò minoris momenti morbis, et quòd invenitur praecipuè in iis operibus, quae de Phthisi Pulmonali agunt.

Hunc morbum locavit illustrissimus CULLEN in Classe “ Pyrexiae,” Ordineque “ Haemorrhagiae.” Nosologicis autèm aliis quibusdam ità disponi morbum non placuit: atque his magis assentior. Hâc dispositione enim fit, ut omnia Haemoptyseos exempla quae originem a vi externâ ducunt omniaque Passiva nullum locum constitutum habeant. Hunc evitarunt errorem hoc modo plerique nosologici: Haemoptysis apud eos est Genus Ordinis “ Sanguifluxus” in Classe “ Fluxus.” Ita apud SAUVAGES se habet res. Doctor GOOD autem hunc collocavit morbum in Classe “ Haemastica” (seu ea mala quae genus sanguiferum afficiunt) et Ordine “ Dysthetica” vel Cachexiae. Hic vir eruditus haemorrhagiam rectè dividit in duas species, scilicet “ Entonicam seu Activam” et “ Atonicam seu Passivam:” et aequè atque alias Haemorrhagias Haemoptysin.

In hoc libello, sequente ordine rem trac-

tare propono. I^{mo}, De Signis ; II^{ndo}, De Diagnosi ; III^{tio}, De Causis ; IV^{to}, De Prognosi ; V^{to}, De ratione medendi.

Essentia hujus morbi propria constat ex sputo cruento ; sed discrepant signa quae comitantur, prout Entonicam vel Atonicam formam induit. De his separatim loqui igitur decebit.

DE HAEMOPTYSEOS ACTIVAE SIGNIS.

HAEMOPTYSIS Activa vix, ac ne vix quidem, unquam accidit nisi praeexistentibus quibusdam signis, quae maximè notatu digna habentur, quippe quae malum impendens praemoneant. Haec sunt, sensus ponderis et anxietatis circa pectus, tantus aliquandò ut liberiores prohibeat respirationem, cum dolore obtuso et caloris sensu in aliquâ ejus parte ; titillatio faucium et sapor salinus in ore. Febris signa quoque adsunt lenia. Nescio quomodo sapor salinus explicari pos-

sit; nam sanguinem ipsum ferè praegreditur: sed dicitur a VAN SWIETEN oriri ex seri effusione a vasis capillaribus ante sanguinis ipsius fluxum. His signis praecurrentibus, subito cum strangulandi sensu, extussit aeger vel sanguinem purum, vel sputum magis minusve sanguine tinctum. Sanguis magis magisque spumoso fit; admiscetur enim aëre in pulmonis cellulis. Erubescunt genae; tussi laborat aeger; respiratio laboriosa et anxiosa fit; pulsus durus, frequens, et validus. Si mittitur sanguis e brachio, tunicam coriaceam, Anglicè "Buffy Coat" a superficie exhibet.

Haec signa omnia plerumque urgent, si ingravescat Haemorrhagia. Variat autem quantitate sanguis ejectus ab uncia vel duabus ad libras multas:—Differt etiam ejiciendi modo; nam statim potest extussiri aliquâ copiâ, et tunc desinere omninò; vel diutiùs perstare, et emitti parvâ quantitate, quando morbus longus fit. Tulpius exemplum dat, in quo permanebat triginta

annos Haemoptysis longa, atque etiam diutius*.

DE DIAGNOSI.

HUJUS morbi in quibusdam exemplis obscurè et non sine magnâ difficultate fit diagnosis : in plerisque autem facilè et certè dignoscitur. Confundi potest solummodò cum Haematemesi, vel cum haemorrhagiâ e naribus posterioribus seu epistaxi, vel e faucibus ipsis. Detegitur hic ferè inspectis faucibus ; et epistaxis patet, si fluit a naribus sanguis, quoties aeger caput prorsum flectit. In exemplo neutro, sanguis speciem spumosam habet. Difficiliùs dignoscitur interdum ab Haematemesi ; sed rarò fallacia haec sunt indicia. In Haemoptysi sanguis rubicundum habet colorem, et spumosus videtur, et extussitur exiguâ ferè

* TULPIUS, Lib. II. Cap. 2.

quantitate. Sanguis autem in Haematemesi grumosus, purpureus, et plerumque cum ventriculi ingestis mistus invenitur: idemque vomitu ejicitur, et ferè magnâ copia. Ad haec, doloris et molestiae, quae fluxum sanguinis praecedunt, sedes, in Haemoptysi in aliquâ pectoris parte, cum dyspnoeâ, in Haematemesi in epigastrio, unâ cum historiâ generali aegri, judicium plurimùm adjuvat.

DE CAUSIS.

HAEMORRHAGIA Activa ubicunque accidit, causam deducit ab aequilibrio turbato inter sanguinis cursum in aliis corporis partibus, et in visceris alicujus vasis in quo tunc sedem habet morbus. Interdùm autem ex conditione pravâ ipsius partis pendet. Tale aequilibrium turbatum necessariò in Haemoptysi existere, satis faciliè probari posse videtur si haec in memoriâ tenentur. Imò, Quòd pulmo majorem san-

guinis copiam accipit, pro mole suâ, quàm ullum aliud corporis viscus. II^{ndo}, Quod sanguis majore impetu per pulmonem ruit, quàm per ullum aliud viscus, ex cordis proximitate, et quia vasa ejus subito in ramulos minimos dividuntur. III^{tio}, Quòd evenit Haemoptysis in plurimis exemplis eâ ipsâ aetate, quâ sanguinis plus ad pulmonem quàm ad alias partes corporis fluit. Hanc proclivitatem, quae lateralis vocatur, notârunt omnes auctores practici ab HIPPOCRATE ipso usque ad tempora nostra. Ab anno quindécimo usque ad trigesimum quintum haec proclivitas permanet. Praeter haec notatu dignum est, quòd pulmonis vasa minimè a partibus vicinis sustententur; nam quàm tenuissimâ membranâ mucosâ, quae cellulas aëris obducit, teguntur, dum has cellulas percurrunt.

Haemoptyseos, ut et aliarum Haemorrhagarum, causa longè frequentissima est plethora. Si pertinet aequè ad omnes corporis partes plethora, sanguinis intra pulmonem effusio non sine vasorum harum par-

tium conditione pravâ accidet. Sed saepè invenitur pulmonis ipsius plethora. Figuram praeternaturalem pectoris, unde dispares sunt parietes moli aut formae viscerum quae in iis continentur, nunquam non comitatur: omnesque eos morbos sequitur, qui sanguinis cursum e pulmone ad cor impediunt. Hoc modo agunt cordis ipsius sinistri vitia organica omnia, praesertim valvulae mitrales vel valvulae semilunares aortae in os conversae. Pulmo autem ipse, valdè ad vitia sanguinis fluxum impedita proclivis, frequentissima hujus morbi causa praedisponens fit. “ Les crachemens
“ de sang sont ordinairement l’effet des alté-
“ rations du poumons. Ce viscère vient il à
“ s’endurcir, à s’obstruer, à se racornir, alors
“ une partie de ses vaisseaux s’oblitérent, le
“ sang que les penetrait reflue dans les autres.
“ Ils sont dilatés, distendus, déchirés, ce qui
“ donne lieu a des hémorragies.”* Inde tuber-

* M. PORTAL Sur La Phthisie Pulmonaire. Tom. I.
pag. 201.

cula, tumores varii, concretiones cùm calcariaè tùm osseae, quae in pulmone aliquando inveniuntur, Haemoptysin movent. His accedunt hydrothorax, hydrops pericardii, morbi etiam organici viscera abdominalia afficientes, qui liberum impediunt diaphragmatis descensum. Haec mechanica impedimenta, si magnoperè valent, morbum inducere possunt, nullâ aliâ causâ excitante admotâ. Contrà, si causae excitantes, de quibus mox dicetur insigni vi admoveantur, nullâ proclivitate praegrediente, Haemoptysin aliquando excitant. Ferè autem vix agunt haec duo causarum genera, alterum sine altero, sed conjunctim. Inter causas praecipuas excitantes enumerantur, nisus vehementes, praesertim respirationis organorum; ut accidit, si quis concionem magnam peroret, vel cantet, vel instrumentum musicum inflet, vel gravi tusse afficiatur. Moliere celeberrimus periit hoc morbo affectus, dum in suâ comoediâ, “Malade Imaginaire” agebat. Omnia quoque quae impetum augment sanguinis, veluti calor, ebrietas, animi

affectus quidam, morbi inflammatorii, praeter omnes tales pulmonum affectiones. Ea quae molem sanguinis augment, ut evacuationes solitae suppressae, exanthemataque repulsa, quae morbum excitant, si jam in ipso pulmone adsit proclivitas ; sed praedisponentia tantummodo habentur, si nullo pacto praeter naturam afficitur pulmo—particulae acres aëre volitantes, quales, in quibusdam inveniuntur opificiis hunc morbum non rarò concitant. Tales homines ferè phthisi succumbunt. Audiisse memini a Professore nostro Doctore ALISON, lapicidas longè complures in hâc urbe operantes phthisi laborare ante annum quinquagesimum.* Saepè etiam conjungitur cum phthisico habitu Haemoptysis.

Causae non praetermittendae, sunt irritamenta quae in partibus remotis existunt, ut vermes intestinis. Agunt fortassè per consensum occultum, de quo non satis constat. Haemoptysin aliquando, etiamque

* In Praelectionibus.

saepiùs quàm suspicari solemus, ex hâc causâ pendere, satis probatur a RUMSEY ex Beaconsfield qui exempla plurima dedit.† Alia sunt forsàn, quae adhuc latent, similia. Quibusdam auctoribus denique placuit, Haemoptysin a parentibus ad liberos descendere; neque quidè m dubitare licet, quin forma, quae maximè ad hunc morbum praedisponit, haereditaria sit.

DE PROGNOSI.

SI prognosin veram ullo morbo reddere vis, necesse est, non modo ut diligentè omnia animadvertas signa, quae instante morbo adsunt, sed etiam studiosè explores causas omnes unde originem habet; omniaque quae ad aegrum ipsum pertinent. Neque alium cognosco morbum, qui magis talem inquisitionem, quàm Haemoptysis, exigat. Non rectè indiciis confiditur quae praebent

† Medico-Chirurgical Transactions, Vol. IX.

ipsius morbi signa, nisi eodem tempore detegantur ejus causae, et quicquid de historiâ aegri praegressâ colligi possit. Utrum idiopathicus sit morbus, an ex aliquo vitio organico partium, de quibus jam dictum est, pendeat, investigari imprimis oportet. Plurimis in exemplis periculosus non est, nisi cum tali vitio conjungitur. Hominem caeteroquin sese benè habentem afficiens Haemoptysis, exigui ferè momenti habetur. Sin autem forma adsit pectoris arctior, vel habitus strumosus, aut si signa ulla cordis vitiati se ostendunt, nos maximè terrere potest. Semper seriùs ociùsve cor vitiatum mortem inducit: phthisinque adhuc latentem quàm saepè in actionem concitavit Haemoptysis. Verè quidè dixit PORTAL : “ On a remarqué que ses hémorragies n’avoient pas de suites aussi fâcheuses relativement à la phthisie lorsqu’elles venoient tout d’un coup dans des sujets qui n’avoient eu ni toux, ni difficulté de respirer,” &c.* Si nullus est habitus

* Opere jam citato, Tom. I. p. 197.

phthisicus, praesertim si tubercula in pulmone non existunt, de quibus, ne ad inflammationem concitentur, medico maximè cavendum est, discrimen haud magnum erit. Dubito maximè, annon tuberculorum inflammatio, quae Haemoptysin interdum sequitur, ex iisdem causis pendeat, unde originem duxit sanguinis fluxus, magis quàm sit sequela sanguinis effusi. Verisimile est quod dixit DESAULT, Haemoptysin, nempe, multò frequentius sequelam phthiseos quàm causam existere. Huic assentitur BAYLE: PORTAL etiam aliquod simile dicit; “ Il paroît que bien loin que les
“ crachemens de sang soient la cause de la
“ phthisie pulmonaire ils en sont ordinaire-
“ ment les premieres symptomes.”* M. LAENNEC, qui tubercula pulmonis solam phthiseos causam proximam agnoscit, vix credit Haemoptysin plus ad phthisin inducendam valere, quàm quòd tubercula in actionem evocat.

* Opere jam citato, Tom. I. p. 203.

Memoravit primus HIPPOCRATES, idemque testantur ferè omnes auctores, Haemoptysin plerumque inter aetatis annum quintum decimum et trigesimum quintum, accidere. Hoc certè ab impulsu sanguinis laterali pendet. Putabatur etiam morbum esse eo tempore saepius mortiferum ex conjunctione cum phthisi pulmonali. Sed phthisin reipsâ rariùs per id tempus, quam aetate proveciori evenire, demonstravit tùm ex suâ experienciâ, tùm ex aliorum, Professor ALISON.*

Caret igitur periculo ferè Haemoptysis, si illa excipias exempla, in quibus amplo rivo effunditur sanguis mortem protinus minante, quod rarò evenit: illa quoque, in quibus non semel sed crebrò accidit, unde ex pulmonis aut viscerum aliorum vitalium vitio organico pendere suspicamur; et denique quandò cum habitu phthisico conjungitur.

Plethoram suprâ diximus causam esse hu-

* On Scrofulous Diseases. Transactions of the Medico-Chirurgical Society of Edinburgh, Vol. I.

jus morbi frequentissimam ; his itaque exemplis, prognosis haud tristis esse videtur. Quinetiam, ita a periculo absunt interdum haec aliaeque haemorrhagiae, ut saepe, quibusdam in morbis, salutem redigunt, officio vicario fungentes. In amenorrhœâ suppressionis non rarò ita accidit ; namque conditionem corporis plethoricam tollunt, quae aliquandò effusionem mortiferam inducit in cerebrum, vel partem aliam ad vitam maximè pertinentem. Potissimùm autem aliquandò in peripneumoniâ graviori prodest, congestionem impediendo. Nec desunt exempla febrium, quae ad salutem procul dubio sic perducta sunt, veluti per alias effusiones criticas. Multum interest autem, quo morbi stadio occurrat effusio, faustum omen sit, an infaustum. Si initio, morbum non rarò sublevat ; seriùs verò si accidat, ferè semper mortis instantis signum est. Tunc enim passiva est, et insignem partium solidarum vel sanguinis ipsius resolutionem denotat. SYDENHAM iste celeberrimus hoc accidisse notavit, in febre putridâ epidemicâ variolae

confluenti superveniente, unà cum urinâ sanguineâ.*

DE MEDENDI RATIONE.

His praedictis observationibus, quae causas pathologiamque exponunt Haemoptyseos, haud difficile intellectu erit, quae consilia esse debeant, dum curationem agimus. In hâc praecipuum propositum est, causas cum praedisponentes tum excitantes quam maximè depellere, et vas ruptum quàm celerrimè sanare. Haec tempore eodem perficiuntur consilia, omninòque necessaria sunt ad rem feliciter gerendam. Sanguinis jacturam prohibere, ferè acerrimam et attentissimam cogitationem primò postulat. Effusione suppressâ, statim est ad alia veniendum consilia. Quantumcunque valeant remedia in haemorrhagiâ cohibendâ, si perficiatur nihil praeter hoc, auxilium saepiùs

* Inter Opera, Lond. 1688, p. 100.

temporaneum solummodò erit, timendique ratio erit, ne redeat iterum iterumque morbus.

Antequam remedia ipsa his consiliis apta attingimus, memoriâ teneamus partis unde effunditur sanguis naturam. Huic protinus ex situ ejus adhiberi non possunt remedia. Illa itaque oportet talia esse, qualia in corpus generale magnam impressionem faciunt. Ea maximè prosunt, quae vel quantitatem sanguinis totam imminuunt; vel impetum et velocitatem ejus reprimunt; vel cursum ejus a pulmone ad partes remotas avertunt. Omnia alia utquamque utilia, his solummodò auxilia esse habeo.

Ad sanguinis copiam per omnes corporis partes ideoque per pulmonem circumeuntem, minuendam nullum habemus auxilium sanguinis missione praestantius; nullum saepiùs a medicis adhibetum. Vix scio ullum Haemoptyseos Activae exemplum, quo non debeamus hoc uti remedio. Semper cum actione auctâ haemorrhagia quaevis activa est; hancque necesse erit actionem

antè suppressere, quàm effusionis sanguinis inhibendae justam spem habeamus. Vix negliget medicus peritus hujus remedii adhibere modum secundum eas leges quibus semper subjicitur : aetatem nempe, habitumque aegri corporis et caetera. Ægro valido et plethorico si accidat morbus, detrahatur sanguis pleno rivo ex vulnere amplo, et fortassè dum supinus homo jacet. Venaesectionis effectus adeo desiderandus est Syncope, ut si quis magnae copiae jacturam non possit tolerare, huic putem debere mitti sanguinem erecto corpore, quae positurâ detractam tantummodo quantitatem modicam sequitur syncope. Plerumque desinit Haemorrhagia inter Syncopen, formato ad vasis rupti ostium coagulo, neque iterum Syncope finitâ prorumpit. Morbi progressum reprimere valebit saepè unica sanguinis detractio copiosa ; plerisque autem exemplis bis terve fieri debet. Caveatur autem ne sanguinis missionem aliaque remedia deprementia ultra modum adhibeamus. Si enim vires vitales nimis deficient, periculum movet ne vasis

contractio effici non possit, et perstet usque ad mortem haemorrhagia. Tali profectò corporis conditione superveniente, faciem novam morbus induit, nec diutiùs ætiva sed potius passiva fit. Inde exigitur quoque novus operandi modus, et remedia ei idonea prorsus diversa.

Prosunt in hoc et similibus morbis mirum in modum purgantia: ratione autem duplici commodè agunt. Humorum, qui fluunt ex membranâ intestinorum mucosâ, adaucta secretio ad generis sanguiferi distentionem dimovendam haud parùm confert, atque sic contractionem faciliorem reddit vasis sanguinem effudentis. Praeter hoc utilia fiunt, actionem avertendo ad partem remotam; seu divellentia sunt. Purgantium selectio ad hunc morbum curandum aptiorum non parvi existimatur momenti. Anteponuntur ea quae maximè secretionem augeant ex glandulis intestinorum mucosis, quaeque, nullam inordinatam actionem in corpore movendo, consiliis medendi aliis consentiunt. Ex omnibus optima purgantia salina

sunt, praesertim magnesia et sodae sulphas, phosphas sodae, et potassae super-tartras.

Ad copiam imminuendam humoris circumcumeuntis, abstinentiam ex potionibus commendavit DAVIDSON, vel saltem ut parcè sumantur.* Nescio an aliis medicis placuerit haec ratio medendi: vix ullam hujus mentionem invenio. Quòd maximè prodest per multa exempla ipse ostendit DAVIDSON; et mihi, confiteor, concurrere rationi videtur.

Remediis igitur recensitis quae quantitatem minuunt sanguinis, transeo nunc ad ea quibus celeritas impetusque ejus cohibeantur. Agunt haec omnia vim cordis articularumque protinùs deprimendo, unde sedativa vocantur. Magno sunt in usu in Haemoptysi, et utilitas ab omnibus agnoscitur. Praeter alia commoda, quae satis manifesta sunt, hoc quoque licet notare, quòd non

* Medical Facts and Observations, Vol. III. and IV.—Vide etiam "Observations on the Pulmonary System," &c. By W. DAVIDSON.

tanta debilitas ea sequitur, quàm alia de-
plentia plurima. Ex hâc classe nihil fre-
quentiùs adhibetur, quàm digitalis purpu-
rea. Etsi effectus ejus aliquantò incerti
sunt, et necesse est insigni cum curâ adhi-
bere: nihilominùs medicamentum utilissi-
mum certè est, atque jamdudùm opposi-
tionem superavit, quae primò ei objecta est.
Forma optima fortassè est tinctura, cujus
adhiberi possunt guttae decim senis vel oc-
tavis horis, copiaque gradatim augeri. Aci-
dum Prussicum sive hydrocyanicum rariùs
hâc in regione quàm apud alios Europaeos
adhiberi solet. In modo octo vel decem
guttarum, multâ aquâ dilutarum, tutum et
efficax videtur esse sedativum, sed nescio
an ullum habeat commodum, quod deficit
in digitali. Acidi acetosi proprietates,
sedativae, refrigerantes, et astringentes, valdè
a Doctore ROBERTS laudatae sunt, qui mul-
tis in exemplis commodè dederat.* Ejus

* Medical Transactions, Vol. V. Art. 18.

effectus eximios in Haemoptysi quoque notavit Dr MASON GOOD.*

Quaedam esse remedia divellentia supra diximus; ea nempe quae derivationem sanguinis visque nervosae a parte affectâ ad remotas efficiunt. Valde utile hoc remediorum genus in Haemoptysi invenitur; etenim protinus copiam nimiam sanguinis in pulmone diminuere tendunt. Diximus antea purgantia hoc modo agere; sed alia sunt quae saepè hoc unico consilio admoventur. Hoc ferè efficitur per excitantia localia, actionem in parte distante moventia. His dum utimur medicamentis, diligentèr cavendum est ne talis naturae sint, tantâ ve copiâ admota, ut sanguinis cursum generalem accelerent. Quae saepiùs èo adhibentur, sunt calor, vel cataplasmata, vel vesicatoria artubus inferioribus applicata. Si pediluvio utimur, non supra illum gradum aqua calere debet, quo adhiberi possit sine corporis totius excitatione. Maximè prosunt

* Study of Medicine, Vol. II. 773.

hoc in morbo vesicatoria, quippè quae etiam sanguinem extrorsum avertant a partibus thoracis internis. Mihi equidè videtur, magis hoc modo proficere vesicatoria, quàm per secretionem e vasis cutis quam efficiunt. Haec enim secretio minor est, quàm ut possimus multi momenti existimare.

Genus est quoque remediorum, quae agere dicuntur contractionem promovendo vasorum. Primo equidè aspectu haec valdè huic morbo idonea videntur. Nescio an aliquid existat, quod certiùs hanc rem conficiat quam totum id genus quod nauseam excitat. Quamdiu perstat nausea, tardatur cordis vasorumque magnorum actio, vasis capillaribus simul contractis. Inter consilia medendi habetur uterque effectus. Anteponitur tartrati antimonii ipecacuanha parvis et saepè repetitis dosibus a scriptoribus practicis ad nauseam movendam et producendam. Objicitur fortassè medicamentis ex antimonio, quòd virium vitalium tantam faciunt atoniam, ut omninò

conatus salutiferos Naturae ipsius prohibeant. Hoc cautè evitant omnes illi qui multùm viribus medicatricibus naturae nituntur. Vomitum plenum alii strenuè commendârunt auctores; et prae aliis Dr BRYAN ROBINSON, Eblanensis; sed vix unquam, ut opinor, hodiè adhibetur. Quaecunque commoda conjecturalia ex hóc speramus, fieri tamen non potest quin nonnihil vereamur ex actione vehementi. Magnum subitumque sanguinis effusi incrementum sub ejus actione, quod vidit Dr CULLEN, illum medicum praeclarum ab usu ejus merito deterruit.*

Eodem vasa constringendi consilio, ut credo, admovetur variis corporis partibus frigus: ferè sub formâ lintei ex aquâ frigidâ expressi ad genitalia. Aliquantùm prodesse videtur. Pedes aquâ gelidâ immergi quibusdam placet, sed magis mihi pediluvium tepidum. Omninò dubium meâ quidèmsententiâ remedium est affusio aquae frigi-

* Mater. Medica, Part II. Ch. xix. p. 470.

dae thoraci. Duplici ratione agere potest; et nescimus utrâ potiùs. Subito impetu contractionem quasi spasticam vasis rupti inducere potest: vel sanguine impulso a summâ cute ad intima thoracis, haemorrhagiam maximè augere. Pro certo habeo, nusquam adhiberi nisi in extremis debere.

Refrigerantia interna valdè prosunt; et usitatissimum est nitras potassae. Dr DICKSON primò hoc remedium laudavit;* et huic assentiuntur multi alii auctores. Inter refrigerantia interna omittere nolo aquae frigidae potum. Huic maximè remedio favebat HOFFMAN. “Inter refrigerantia” inquit “potissimùm commemorandus aquae potus frigidae, paulatim quidè sed sufficientèr quotidie haustus tecto probè corpore.”† Et narrat paulò post se aliqua gravissima Haemoptyseos exempla novisse, hóc remedio post sanguinis detractionem cohibita.

* Medical Observ. and Inquir. Vol. IV.

† Dissertatio de Haemopt. Halae. 1730.

Sodae muriatem magni aestimavit Dr RUSH celeberrimus;* ejus autem commoda suâ novit experiëntiâ.

Consuetudo, apud antiquos adèo frequens, ligaturas super imponendi artubus ut haemorrhagias reprimerent ex visceribus internis, a recentioribus magis peritis prorsùs obsolevit: nequè enim ratione probatur, et originem habuit tantùm ex circuitùs sanguinis ignorantîâ.

Omnia de quibus jam diximus remedia inutilia tamen erunt, nisi Regimine Anti-phlogistico (ut vocatur) adjuventur. Hoc imprimis inculcare ultimi est momenti, atque tum in hõc tum in aliis morbis longè medici difficillimum opus invenitur. Quot enim aegri ex amore falsorum amicorum perierunt, qui debilitatem pessimam alicujus morbi partem judicant! Oportet igitur aegrum lecto detinere, minimamque exerci-

* Vide Memoirs of Med. Soc. of London, Vol. II.
Dr Percival's Paper.

tationem prohibere corporis, et quàm maximè animi. Cubiculum amplum et benè ventilatum, et plerumque sine foco esse debet. Vix dicere necesse est, diaetam aliis consiliis respondere, atque hominem nullum omninò habere liquorem excitantem debere.

Quandò, his ritè adhibitis, aegri ità deprimuntur, ut nihil exactione immodicâ timeatur, usum incipere oportebit quorundam remediorum, quae non tutò prioribus morbi temporibus adhibentur. Talia sunt opiata et astringentia. Opiata valdè sunt ad tussim sedandam utilia; itaque multùm ad curationem conferunt. Nàm ferè semper urget tussis; atque nemo non agnoscit quantum ab eâ periculi, vel effusionem augendi vel eandem reducendi, si jam reprimatur sanguis, intendatur.

At solent etiàm adhiberi astringentia quaedam ad vasorum debilitatem laxitatemque corrigendam, et indè ad haemorrhagiae reditum praecavendum. Astringentia quae praecipuè dantur aut vegetabilia sunt vel

mineralia. Inter vegetabilia inveniuntur, Decoetum Quercûs Roboris, Haematoxyli Campechiani extractum, infusa Rosae Gallicae, Catechu, Cinchonae, Tinctura Kino, cum multis aliis. Ex mineralibus sunt acida, praesertim Sulphuricum, Sulphas Aluminis, Aqua Calcis, &c. Compositiones autem ex Ferro et Plumbo saepiùs, quàm ulla alia metalla, hoc in morbo adhibentur. Unum habet commodum Ferrum, quòd non eos affectus noxios concitat qui ex caeteris ferè metallorum praeparationibus oriuntur. Sed vereor ne magis quam oportet in Haemoptysi excitet. Longe diversum est Plumbum quod nullo modo excitamentum praebet. Sèd diù ab hóc remedio abhorruerunt medici plerique. Proprietates autem ejus perniciosas majores, quàm par est, sine dubio aestimârunt : multaue ei objecta referri debent ad usum ejus sub formis minùs idoneis, aut sinè illâ conjunctione cum quibusdam rebus, a quibus innocuum reddatur.

Vix aliquid noxium in hóc metallo suspicati fuisse videntur antiqui : mos enim usi-

tatissimus apud eos laminas plumbeas suspendere in vino ad saporem ejus jucundiorrem reddendum. Recentiores pro medicamento sales ejus adhibuerunt : sed famam adeptum est infaustam ex scriptis, quae ediderunt GEORGIUS BAKER Eques* et Dr HEBERDEN.† In usu autem nihilominus fuit apud multos summâ veneratione dignos medicos, tum in hâc tum in aliis morbis. Atquè hi quidem se unquam ulla mala ex eo orta vidisse negant. Multum laudatur a Doctoribus REYNOLDS‡ et LATHAM.§ Adhuc saepè a medicis Londini medicinam exercentibus praecipitur : hâc autem in urbe, ni fallor, omninò rejicitur. M. FOUQUIER, unus ex medicis ad Hospitium “ La Charité” Lutetiis, commentarium dedit Facultati Medicinae illius urbis, quaedam complectentem de plumbi super-acetatis usu ad

* Medical Transactions, Vol. I. p. 311.

† In Commentaries.

‡ Medical Transactions, Vol. III. Art. 15.

§ Idem, Vol. V. Art. 21.

sudores phthisicorum profusos reprimendos. Usque ad grana decem vel quindecim quotidie dedit in granis quatuor vel quinque simul, maximâ cum utilitate, et sine ullis iis incommodis, quae vulgo ei tribuuntur. “Jamais ce sel n’a causé de colique (hors un seul cas) et jamais ce medecin n’a vu dans les cadavres les moindres traces, qu’on pût croire être causées par ce sel.”*

Pro certo tandem habeo in longè plurimis exemplis dari tutissimè posse plumbi superacetatem, si opio jungatur; et si praecaveatur constipatio crebris ol. ricini potionibus.

Effusione sanguinis pro tempore saltè suppressâ, nihil aliud fieri potest, quod scio, quàm eas causas depellere, a quibus reduci potest. Si fortè homini, cui sanus pulmo est a vi externâ aut organorum respirationis molimine insolito, accidat, nihil facilius factu. Aliquot dies quiescere, diaetâ parcâ uti,

* Dictionnaire des Sciences Medicales, Tom. XLIII.
Art. Plomb.

a liquoribus abstinere generosis, et in futurum causas excitantes quàm plurimum evitare debet; atque haec sola observare opus est. Alitè multò autèm se habet res, existente ad Haemoptysin aliquâ praedispositione magnâ. Tùm enim diaetam, exercitationem, vestimentum, et vitam totam secundum periti medici praecepta, omninò disponere oportebit. “ Si vous voulez vivre,” dit Gréty, dans ses conseils aux Hemoptoïques, “ renoncez aux plaisirs des sens, “ &c. si vous sentez la poitrine échauffée, “ ce que vous apercevez a une petite toux “ sèche, prenez du sirop de vinaigre dans “ beaucoup d’eau; garantissez vous contre “ l’humidité des pieds pendant l’hiver: “ couchez vous de bonne heure; mettez vos “ jambes dans l’eau tiède; si votre tête “ s’échauffe trop pendant le travail: choisissez des alimens sains de facile digestion, “ et laissez les mets trop échauffans: prenez “ un lavement de l’eau froides tous les matins, et dégourdie pendant l’hiver; ne “ buvez point habituellement de vin sans

“ eau ; ne travaillez jamais après le repas :
“ travaillez rarement le soir ; si vous voulez
“ avoir une bonne nuit et un bon lende-
“ main.”

*DE HAEMOPTYSI PASSIVA SEU
ATONICA.*

LONGE saepiùs symptomaticum quàm idiopathicum est id genus Haemoptyseos cui nomen est Passivum. Maximi est momenti inter Activam dignoscere et Passivam : maximè enim quod ad causas, signa, ideoquè curationem inter se differunt ; atque rationes uni generi idoneae, nocivae erunt vèl etiam pestiferae in altero.

In Haemoptysi Passivâ relaxatio generalis vasorum cum debilitate insigni causa proxima habetur ; ità ut accessionem minimam vel impetûs sanguinis vel copiae ejus nequeant sine rupturâ sustinere. Aliis quidè exemplis tanta est relaxatio, ut sanguini ipsi, vice particularum serosarum tantum

modò, transitum praebeant vasa exhalentia. Distant itaque hujus speciei indicia universa ab iis quae aliud genus comitantur. Pulsus nèc durus, nèc validus est sèd magis mollis et debilis; musculi flaccidi; functiones cùm vitales tùm animales languidae et inertes; nihilque est quod non actionis defectum potius quàm excessum indicat. Hinc quarè, multorum morborum quibus debilitas et relaxatio maximae adsunt, signum sit, facilè apparet. Tales sunt Typhus finem versus, Scorbutus, Phthisis, iisque similes. In habitu laxato debilique saepè sequela est ejus generis Plethorae, cui nomen est "Plethora Debilitatis." Conjunguntur enim haud rarò hae duae corporis conditiones, Plethora nempè et Debilitas. Saepissimè in iis invenitur qui vitam agunt desidiosam, quique victu utuntur insalubri, et qui plùs justò dormiunt, neque sub dio sese satis exercent. Quid mirum si iis hominibus increscant magnoperè partes corporis fluidae, et solidae moliores fiant, fibris musculosis eodem tempore flaccidis et vi deficientibus?

His prius breviter recensitis, statim ad modum curandi transeo. Vix dicere opus, venaesectionem rarissimè huic speciei convenire; maximè que astringentibus et confirmantibus remediis confidi debere; quibus, in quibusdam exemplis, utiliter adjungi possunt excitantia. Hòc morbo laborans aeger in lecto collocetur: quies quàm perfectissima praecipiat; et ea remedia astringentia et roborantia, de quibus suprà satis dixi, adhibeantur. Si magna effusa est sanguinis copia et vires valdè deficient, adhiberi debet aliquod stimulans (ut dicitur) diffusile. Interdùm enim perstat haemorrhagia, quia vasa sese contrahere non possunt ex vi vitali deficiente. Hujus rei quaedam exempla vide a Doctore GOOD citata,* in quibus haustus modicus vini Gallici vel Lusitanici cum aquâ (Anglicè *negus*,) haemorrhagiam citò cohibuit. Valet etiàm opium ideo, quòd irritationem tussimque sedat. Corroborantia et id totum regimen

* Study of Medicine, Vol. I. p. 45. Vol. II. p. 706.

quo corpus firmatur, causeaeque et excitantes et praedisponentes tolluntur, omninò necessaria sunt, ut simul curationem rectè perficiant, atquè morbi reditum prohibeant.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

HERNIA

PROEVIUM

SUBTER eorum ventris laterisque, invenimus
 telam cellulosa, quae has partes tegit, indeque
 in scrotum etiam descendit. Hanc telam, quae vo-
 catur Fascia superficialis abdominalis, diversis for-
 mis apparet: modo tenuis et pellucida est, modo
 crassa et firma; id quod pendet maxime ex statu
 corporis temporeque vitae; eademque saepe crassa-
 tissima fit, ex pressura aut Hydrocele aut Her-

mis.